

LIBER II.

Poëmatum;

ELISAB.

IOAN. VUE

STONIAE;

Anglæ;

Studio ac ope

G. Martinij à Bald

hofen, Silesii collect: &

amicis communicat:



Cum Gratia & Privilegio Cæs. Maiestatis.

Francofurti ad Oderam,

Typis Scitirinis.

ANNO 1602.



IN LIVOREM.

*Radis, & ò frustra rodis mea carmina rident
Te pueri, proprius quòd tibi tortor eius.
Nam velut atteritur contractâ ærugine ferrum;
Ingenio, LIVOR, sic ruis ipse tuo.*

M E

gra

F^{Est}

Hec est

Pr

Quo na

A

Nec du

Co

Et meri

Qu

Human

ut

Est cor

C

Fœdera

N

Moleq

S

Quà no

Pa

Ad te s

V

MEDITATIO CVM
gratiarum actione in diem
natalitium Salvatoris
nostri.

Festa dies hilari (mortales plaudite!), celo
Illuxit, reserans gaudia vera pijs.
Hæc est illa dies, quâ illæsa virginis alvo.
Progreditur summi filius ipse DEI.
Quo nascente levem Pastoriam turba salutat
Æthera; dant cantûs Aligerumque Chort.
Nec dubium, ætherij quin agmina sanctæ theatri
Cælica luce tibi hæc carmina, Christe canant;
Et meritò grates toto tibi pectore dicant;
Quod similis nobis Carne manere cupis.
Humani fragiles, quia corporis induis artus:
ut miserae fias conditionis homo,
Est corrupta quidem natura hæc nostra: sed illam
Crimine cum vacuus sis, SINE LABE tenes.
Fœdera nobiscum pepigisti, accensus amore
Nostri, non ulla dissoluenda die.
Moleque mortali vestris, & mille periclis
Subiectus, tumidæ fulminibusq; necis.
Quâ nos incertos vitæ, radiantis olympi
Participes faceres, diva propago DEI.
Ad te suspiciunt igitur pia lumina, castæ
Virginis ô foetus, ô pie Christe Siloh!

42

Simus

Simus ut à Satbanæ seiuncta cateruà cathedrâ;
Ne sibi nos Stygius fraudibus error agat.
Nos verâ potius pietate tuere fideles:
Et superum facias semper adesse choris.
Tolle nefas animis, & quæ caro crimina gignit:
Pax arctè miseros copulet alma tibi.
Nam genus humanum, propter sua crimina lapsum,
Irato reddis, conciliasq; PATRI
Ante Deum supplex cadis hostia; subprimis iras:
Solus es, ante Deum qui Mediator eras.
Solus es, auxilium qui consiliumq; tulisti:
Solus es, æterni quo patet AVLA patris.
Sic equidem decuit; sic ordo juris & æqui
Postulat; æquivalens sic decet esse λύτρον.
Nempè Redemptoris qui nomina sumit, oportet
Esse DEUM, Divûm de Genitore satum.
Sic læsi poteras iram lenire Parentis:
Et rabidæ VICTOR spernere tela necis:
Reddere justitiam, veræ nova gaudia vitæ:
Excelsi rimans intima corda DEI:
Sic castas audire preces; defendere justos;
Pastor & æternus sic gregis esse tuî:
Dæmonis arma potens, Stygiasq; infringere vires:
Ex tenebris pressos ut revocare queas.
Hæc præstari hominum siquidem natura requirit,
Tu solus præstas, optime Christe, tuis.
Quas igitur debent mortalia pectora grates?
Vel quæ lingua satis tot benefacta canet?

Hei

Hei su

Ergo

Et ve

In sta

Sic, pr

Temp

Flet

Omn

Has

Ango

Sola

Ista

Spir

Vivi

Hei sumus ingrati, fœdati crimine carnis ?

Quam mens ægra parum munera tanta capit ?

Ergo quod assequitur minus hâc caligine sensus,

Addoceat sacro SPIRITVS igne tuus.

Et velut in lucem brumali tempore prodis,

Claudere quo terras frigora densa solent :

In stabuloq; infans inter præsepia vagis,

Cum tamen ætherij sis patris ipse logos :

Sic, precor, in nobis sapientia vera misellis

Vagiat, ad finem dum celer orbis abit.

Tempora labuntur, labuntur sceptrâ, genusq; :

Impendet reprobo magna ruina solo.

Flet pietas ; Themis alma tremit, suspiria tollit

Phœbus, & Aonides tristia fata dolent.

Omnia ad extremum properarunt ; omnia finem

Exspectant ; cupiunt esse soluta jugo.

Has igitur curas inter, tenebrasq; precamur,

Ne nos, fons vitæ, deseruisse velis.

Angelico nos iunge Choro : fac carmine grates

undiq; consensus cordis & oris agant.

Sola tibi soli tribuatur gloria CHRISTE ;

Qui solus sapiens, solus es omnipotens.

Ista salutiferi clemens pia dogmata verbi

Obsigna in nobis, nec perisse sinas.

Spiritus immeritos tibi nos tuus uniat uni :

Tu nostrum caput es, nos tua membra sumus,

Vivida qui lux es, clara nos luce gubernâ ;

Et duc ad regni gaudia certa tui,

Omne tuum propter meritum, nostramq; salutem,
Motus amore hominum, quod facis, omne facis.
Hæc miranda mihi ne turbet Dæmonis æstus
Fœdera, nec rabie nos tua membra petat.
Oscula captemus tua suavia, dulcis Iesu:
Posse tuo nobis da recubare sinu.
Nuncia ceu fuerat pecudum vox prima Magistris,
Virgine quæ natum te tulit esse DEVM;
Sic quoq; da, digni meritorum Christe ministri
Sufficiant, benè qui dogmata pura serant.
Sint præcentores, sint Sanctæ pacis amantes:
Sint procul à templis iurgia, bella, neces.
Quin potius miserum pecus ad præsepia ducant;
Exemplo doceant quodq; sequantur idem.
Deniq; cum veteri pro consuetudine lux hæc
Anni principium jusserit esse novi:
Vota damus, gemitûsq; damus, bone Christe, Re-
Fraternas facilis suscipe, quæso, preces. (demptor
Sit veniens nobis hic felicissimus annus:
Sint procul à nostro fata sinistra lare.
Collige nos inter tibi semina pura pusillos,
Nec tolli nobis dogmata vera sinas.
Cæsaris imperium, quod Musis præmia sistit,
Floreat, & vigeat Cæsaris aula diu.
Turcica rumpatur rabies; nomenq; Tyranni
Intereat; populus te colat inde tuus.
Sit fecundus ager, fugiant contagia pestis,
Et junctim crescant templa, theatra, scholæ.

DE

DE NOMINE

IESU.

Verte stylum, mea Musa; procul mundana recedant &

Cedant á calamis nunc leviora tuis.

Lam neque pro lætis modulis grat abere amicis,

Nec dictura frequens versibus, ibis, ave.

Carminè lugubri non fata sinistra dolebis:

Ad Proceres nec jam ducet arundo preces.

Non supplex mea vota feres ad Cæsaris aulam;

Nec mihi difficilem sollicitabis opem.

Legibus haut metricis sapientum dicta virorum

Involves: nusquam buccina laudis eris.

Non hilari accipies nascentium festa sonore:

Nec lacrimas dabimus quas ciet æger amor.

Sed veteri graviora modo medit emur: Olympus

Materiam auspicijs præbuit eccè novis!

Namq; dies micuit, quo guttula prima cruoris

Pro nobis, nostrâ proq; salute cadit.

Quis fundat quæris? teneris ex artubus infans,

Infans matre miser virgine, patre DEus.

Cesso heic. tanta meam superant mysteria mentem

Mater homo est, nullo sed temerata viro.

Hic ubi vix quam fors humana humanitus offert

Octo dies almâ luce potitus erat;

Se circumcidi patitur, pro more vetusto,

Et IESUM Aligeri patre volente vocant.

Dic igitur Iesu carmen de nomine Musa:

Quid distet reliquis illud, & undè gerat.

sunt quibus hoc nomen fuit olim; Iosua Mosis
Successor simili nomine dictus erat.

Tuq; Sacerdotem tali de nomine magnum,
Zaccharia, scriptis ipse fuisse doces.

Non tamen æternam populo hi struxere salutem,
Sed mundana fuit, si fuit ulla, salus.

Iosua deduxit Cananæa per arva fideles:

Hæcque externa salus, si meditaris, erat.

Post hos, Syracides dictus cognomine IESVS,

Contulit in multos ethica multa libros.

Sunt hæc magna quidem & magni pendenda. sed illa

• Non CHRISTI sumis æquiparanda bonis.

Virginis ac Divûm suboles, cui sidera rorant,

Sola mihi IESVS sola Redemptor erit.

Non humana dedit ratio: sed diva voluntas

Æterni exposuit nomen in axe, Patris.

Angelus hoc nobis sacrata voce revelat,

Et certa dici de ratione jubet.

una salus miseris datur hac, ut Crimine liber

Vivat homo, & veræ gaudia lucis agat.

Nam licet à cuncto sanentur corpora morbo,

Non tamen est nobis vera putanda salus.

Pectora peccato quod si releventur ab omni,

Ista salus demum crede perennis erit.

Nam quicumq; fuit maledicto à crimine liber,

Nil huic vel morbus pauperiesve nocent.

Hanc non ipsa minis mors impetiosa movebit:

Solo etenim IESV nomine salvus agit.

Qui

Qui non saluus erit solius nomine IESV.

Nil hunc fluxa salus divitiæque beant.

Nulla profanorum moveat me cura bonorum :

Celestis deceat sed diadema domus.

Sic ego salvabor, sic mens & vita valebunt :

Sic mors & Dæmon nil nocuisse queunt.

Adde & Calliope, quibus hic fit missus in orbem :

Mortifero quosnam liberet ille iugo.

Non aliena quidem Messias agmina curat :

Sed sibi devotè membra caduca fovet.

Grex alienus is est, qui nescit credere diælis,

Quiq; Redemptorem te pie Christe, negant.

Sed verà quicumq; fide complectitur ipsum,

Ille, DEI populus cur recreetur, habet.

Crede modò Christi verbis, sacra iussa capesse :

Si ratio pugnat, sufficit αὐτός ἐφα.

Quâ ratione suos divina propago tuetur ?

Fallor an ex Merito, crimine liber agis ?

Non ita : Sed merito Christi patris ira recessit :

Et Christi scævâ morte repensus homo est.

Hoc veræ fidei qui nixus robore perstat

Vivet, & in media morte beatus erit.

Namq; bonis nomen IESV bona plurima confert.

De celesti homines nempè salute docet.

Non aliud nomen sub celo restat in orbe,

In quo nos salvos fecerit esse DEUS.

Nominibus reliquis meritò præponitur unum :

Quo semel audito flectitur omne genu.

Angelus è celo veram conferre salutem,
Nescit, at à Iesu vera petenda salus.
Quisquis in hoc dulci, spe firmâ, nomine credit,
Salvus hic, inferno liber ab hoste, manet.
Non Externa tamen genuum subjectio prodest,
Ni mens se flectat, Flectio Nulla juvat.
Ergo Salvator Iesu suavissime salve,
Mente tibi purâ carmina fusa, cape.
Sis clemens famulæ; peccata remitte; gubernas
Affectûs, sensûs, ora, manusq; tibi
ut tibi semper agam, Iesu, pro munere grates,
Inque meo officio iussa fidelis agam.
Sis mihi salvator verè, dulcissime Iesu:
Fac quod in orbe cano, sic super axe canam.

In Diem,

Quo fit recordatio S. ANDREAE
Apostoli, fratris PETRI.

Christe Dei fili, Salvator & unice mundi,
Ex imo grates pectore reddo tibi;
De genere humano quòd Sanctum colligis agmen;
ut crescat regni turba sacra tua.
Ipse tui repetis promissa subindè favoris;
Deq; tui verâ cognitione doces.
Ordine continuo das Sanctos, Christe, ministros:
Mittis & hos flatu tu sapiente regis.

Ipsa

*Ipsæ caro tandem fieri, mortalia sumens
Membra, meus dici frater, & esse cupit.*

*Tu demis veteris violenta repagula legis,
Exosus jussus fœdera dura tui.*

*Hinc tibi divina bis senas voce ministros,
Quos veri testes exigis esse, vocas.*

*Ah, precor, hanc lucem veri tutare Redemptor,
Et serva populo dogmata pura tuo.*

*Da bene sanctorum vestigia tuta sequamur
Rectius in vita, religione, fide.*

*Non his divinum stolidi tribuamus honorem:
Soli namq; tibi competit omnis honos.*

*Cura habeat sanctos Ecclesia sancta Magistros,
Qui verbi fundant balsama sana tui.*

*Quiq; tuum per prata gregem viridantia ducant;
Limpidaq; egelido fonte fluent a locent*

*Donec ad astricolas pia turba vocetur alumnos;
Et tibi conficiat carmine dulce melos.*

MORTEM NON Gustabunt.

*Non fratres inter tantus fuit ardor amantes,
Quos decepta tulit Læda furore, Iovi:*

*Quanto hominum mitis flagrabat amore Redemptor:
una unus remanet qui DEUS, unus homo.*

*Mutat enim Pollux charo cum Castore vitam
Fratre suam; certa conditione tamen.*

Alter

Alter ut alterius moriatur origine vitæ :

Dumq; hic surgit equis, ille feratur aquis.

At vitam, alterius Christus sine morte, perennem

Obtinuit moriens, non moriturus, homo,

Vivus ovat : non te mors illius ergo fefellit :

Ne pereas, sed eas per supera, ille perit.

Omnia qui tecum victurus secula, solus

Expertem Stygiæ te facit esse plagæ.

NEGLIGE præsentem vitam, ut
obtineas futuram.

Sis patiens, vitæq; fugax præsentis, ut illam

Possideas, quæ te sine soluta beet.

NIL CUPIAM, præter
dissolvi.

Quid mea mendosæ laceratis pectora curæ ?

Prævaleat stimulis nil caro blanda suis.

Nil sapiat, stupidi quod amat dementia vulgi,

Et falso summum quod putat esse bonum.

Quis DABIT Capiti meo
aquam ?

Triste quis irroret caput ? aut quis noxia fonte

Lumina, sed nunquam deficiente riget ?

Mè viti

Qu

Hoc mil

Pr

V I

Nob on

M

Quàm c

E

Nam m

E

Si meru

Si

Æquã

H

Si sceli

C

Res gra

M

N

M

*Mè vitia ut noctes mea flere diesq; viderent :
Quà valeam iratum conciliare DEum !
Hoc mihi nulla dabit vis morti subdita ; mortem
Pro me qui jugulas, hoc mihi Christe dabis.*

V I T A A E R u M N O S A
morte acerbior.

*Nos onus in scapulis, qui sidera fultat, Atlantem
Mole fatigatum, tam gravitate premit :
Quàm corpus mentem; quæ luctibus anxia anhelat
Extingvi; & fragilis ponere carnis onus.
Nam mora multiplicat mortis tormenta cupitæ :
Et moritur, quoties vivere quemq; piget.*

M O R S E S T, meruisse
mortem.

*Si merui mortem, quid vita in corpore langvet ?
Si non, morte gravi cur graviora fero ?
Æquâ sunt pœnæ & crimen pendenda bilance ?
Hæc non, ponderibus parcius illud erit.
Si scelus est mortis : cur vitam pœna remordet ?
Culpa mori caussa est, pœnaq; velle mori.
Res gravis est, leto crudeli malle perire :
Mors igitur justis pendet utrinque modis.*

N E Q U E S I M dives, neque
pauper.

Nè

Ne me divitiæ tollant, neq; mergat egestas?
In medio statuas me, bone Christe, loco.
Neve tuum nomen perjurem more Superbi:
Nec quæram, furum more, fugare famem.

DIVITIAE IRRITAMEN- ta malorum.

Quid peto divitias irritamenta malorum?
Ad peccata viam cur ego sector opes?
Omnia si subito perimit fortuna rotata,
Vita quid est: noctis ceu mihi somnus erit?

IDEM.

Stulta quid exspecto locupletis munera vitæ?
Quid satuæ placeat gloria vana moræ?
Rarius hæc prosunt, obsunt magis: illa beatis
Quæ sunt stultitiæ, sint mihi divitiæ?

PUBLICA CORRUPTELA

ut minus est facinus calicem infecisse veneno,
uni qui tantum letifer haustus erit?
Fontibus impurum nitidis, quam spargere virus,
Pluribus undè latex exitialis eat.
Sic, qui privatè fuèrit succumbere culpæ,
Non scelus in tantum se sceleratus agit?

Quam

Quam qui consilijs reges intoxicat aegris;
Quis populo interitum perniciemq; parat.

DE ELEEMOSYNA.

Est in divitijs talis natura caducis,
(Sic docet à primo nunc quoq; fama die:)

ut sterilis nudâ jactæ, telluris arenâ
Augmento fructus uberiore ferant:

Quam tibi si fundo glebæ pingventis opimo
Differat has sollers, ac operosa manus.

Nam superi referunt, quidquid donatur egeno,
Accipit, & magno scœnore, munus amat.

Sed dici quidquid tribuis, tribuendo peribit:
Nemo erit, acceptum qui memorabit opus.

COMMVNIO benivolentia.

Luna velut cæco reflectit lumina mundo,
Quæ diffusa sui lampade fratris alit:
Munera sic, quæ si collata supernè receptas,
Cum socijs debes participare tuis.

VEL.

Non secus ut Phœbi quidquid de lumine Phœbo
Haurit, anhelanti grata refundit equo.

Quam

Est

*Et quæ sollicitant homines à Numine celi,
Accipiant inopi distribuenda lari.*

AB ALIO expectes, alteri quod
feceris :

*Quæ tibi vis, alijs quid idem tu invideris idem ?
Quæ vis esse alijs, crede futura tibi.*

AVARUS ipse miseriæ
caussa.

*Musa refer, miserum miserè quid reddat avarum ?
Scilicet hic proprij est propria causa mali.
Quod negat ille suis namq; invidiosus amicis;
Hoc cruciat mentem, nil ut habere putet.*

AVARUM facile capies, ubi non
sis idem.

*Quàm facile argueris (parili nisi crimine sordes)
Cui vafra nummi agitat corda sinister amor.
Respice, quid desit tibi; Vel quonam aliter abundes
Crimine: num faciat quæ fugienda tibi.*

IDEM.

*Nosse levi cautum studio si quæris avarum:
Noveris, a simili ni modò læsus eris.*

AVA

AV

Non, ni

D

Namqu

Ve

Nil ben

Re

Quod n

Inc

A

Qui sapi

A

Nil opto

Q

Nam ve

Q

A V A R u S, nisi cum moritur, nil
recte agit.

Non, nisi lanificis cum solvit jura DEabus,
Digno digni aliquid turpis avarus agit.
Namque sibi atq; alijs quod debuit haftenus, illud
vermibus, ac terrae solvit item baratbro.

I D E M.

Nil bene avarus agit, finem nisi ponat agendi;
Reddat & instanti debita jura neci.
Quod nulli prius, en nunc credere cogitur omni:
Incustoditum & deseruisse penum.

A V A R u S damno potius
quam sapiens gau-
det.

Qui sapit, ob damnum magis ingemit: ille triumphat,
Auri quem nimij dira cupido premit.

A V A R O quid optes?

Nil optes melius, quam serae secula vitae,
Qui male divitias Numinis instar habent.
Nam venter DEus est, celum arca, moneta voluptas:
Quae si fata negant ultima, nullus erit.

b

BENE.

BENEFICIA qui dare negligit,
injustè petit.

*Exigit injustè, qui munera reddere nescit,
Dùm dare quod reutit, poscit avara manus.*

Bis GRATUM EST, quod opus
est, ultrò si offertur.

*Si quid adoptâris bis grata mente receptes,
Quod citò quis, quod item conferet ultrò tibi.
Qvi citò dat, munus tibi tradit, pectora sancit:
Efficiat meritum gratia bina duplex.*

ALIENA nobis, nostra alijs
placent.

*Nostra placent alijs; & non aliena probamus:
Sic diversa hominum mens tenet omne genus.*

DE CADUCIS fortunæ
bonis.

*ut crescunt viridi flores radice virentes
Arboribus, folij sic quoq; more cadunt:
Fortunæ haut aliter fulgentia dona tumultu
ut surgunt, fragili mobilitate ruunt.*

ABER

ABERRARE à fortunâ tuâ
non potes.

*Ecquis aberrabit concessæ à limite sortis ?
Namq; hæc, ceu murus cingere quemq; solet.*

INDVLGENTIA
fortunæ.

*Crede mihi, quibus est fortuna subindè secunda
Hos placidâ stultos reddere pace solet,
Dulce velut blandis modulatur vocibus auceps,
Cum vaser incautas fallere tentat aves.
Cæcûda sic simulat voltûs fortuna serenos:
ut miseros laqueis capter iniqua suis.*

ALIENUM est, quidquid optan-
do evenit.

*Et tibi quæ votis obtingunt mentis anhelis
Non tua credideris, verum aliena putes.
Cur ita? fata quidem sua cuiq;: sed illa retorquet,
Si mala sunt pietas; sin bona, culpa negat.*

INTEGRITAS
accusata.

*ut, cum Hyas inducit nimbo nubila celo,
Sol radijs penetrans discutit indè suis:*

b 2

Stc

*Sic ferus innocuos si livor quando latebet
Viribus extinctis competerur iners.*

ABSENTEM lædit, cum
cbrío qui litigat.

*Absenti nocuit præsens, qui læserit illum,
Cui sensum oppressit surripuitq; liquor.*

AD POENITENDUM
properat, citò qui ju-
dicat.

*Rem qui iudicio temerè castigat inepto,
Quod longum doleat præcipitanter adit.*

AD TRISTEM partem stre-
nua suspicio.

*Suspicio in partem semper magè firma sinistram:
In dextram solita est tardior esse fides;*

FR A u S adulatoris.

*ut, cum lapsa diu per ripas unda reclives,
Tandem in rugosá se cohibebit humo:
Non aliter blandá Parasitus, in arte bilingvis,
Explorans cunctas ambit evado vias:*

Dùm

*Dùm penitas animi partes, quibus obvia noxa est
Tentat, in venas pectoris usq; meat.*

I u D A E u S mercator.

*Merces atque fidem mercator vendit Hebræus :
Nam turpi totum fit sibi fraude lucrum.
Fallitur, aut socios versutus inescat inertes.
Indè fides quæstus dicitur esse duplex.*

D E H u M I L I & superbo.

*Ceu fulmen penetrat ferrum, marmorq; resolvit :
Cera sed ut liquefit, quæ fuit antè, manet.
Sic etiam divum posternant sceptrâ superbos :
Ast humilis summo tutus ab igne latet !*

A N I M u S distractus.

*Civica confundunt si motibus arma cohortem,
Num felice potest illa quiete frui ?
Sic animus qui se curarum mole fatigat,
Optatæ ille queat pacis habere nihil !*

A D C A L A M I T A T E M quilibet rumor valet,

*Quilibet ad miserum rumor casum assequitur vim :
Et plus quàm verum livida fama valet.*

DE FAMA.

Laudatus fuerit quicumq; à laudis egente,
Huic decus exiguum gloria vana feret.
Sed, si te celebret quem reddit fama celebrem,
Nomine non tacito laus tua major erit.
Alterius meritò est laudatus buccina laudis;
Nominis ignorans adtenuare decus.

LAUS perennis.

Laus tibi quæ multo nomen splendore decorat,
Ni fuerit meritis continuata novis;
Deperit, ut rivas consumtis defluit undis:
Qui planè exhausto currere fonte nequit.

DE SERA admonitione.

Stringetes frustra demùm ori subdis habenas,
Cum celeri sonipes eripit ungue fugam.
Sic, si consilio cupias cohibere ruentem,
Falleris, & lapso pharmaca vana paras.

IDEM.

Ceu priùs adjungis nodosa capistra caballo,
Quàm rapidus campi per sola quærit iter;
Instrue sic cautus verbis rationis amicum,
Antè fero præceps quam ruit interitu.

IDEM.

IDEM.

*Si vis quadrupedem tutò cohibere ferocem,
Tuta prius freno, quàm furit, ora premas,
Et cupis in portum revocare salutis amicum?
Admoneas, medys ne mare mergat aquis.*

INGENIUM præcox.

*Si vini sopor est mollis, placidusq; recentis,
Acrior aut peior, cum veterascet, erit.
Sic quoque, quæ primis est prægnans floribus, ætas
Viribus obtusis tabet adulta magis.*

ALIENA homini ingenuo acerba
est servitus.

*Exosum ingenuo duris parère lupatis:
Libera mens horret tradere colla iuga.
Nam malè conveniunt duo re contraria in unâ:
Et quò sæva modo vincula liber amet?*

ARCUM intensio frangit, animum
remissio.

*Intensu curvus nimio dirumpitur arcus:
Sed mentem suerunt continuisse minu.*

A N I M U S qui vereri scit tutò
ingredi.

*Provida cognovit si mens fugienda vereri,
Elabi tutò cuncta pericla potest.*

A S P I C E R E oportet, quid
possis deperdere.

*Sedulus observes quidquid deperdere possis :
Effugies cauto sic mala damna pede.*

B O N U M EST fugienda adspi-
cere, in alieno malo.

*Provideat sapiens alienis damna periclis :
Quæ simili sibi sint vel subeunda malo.*

A u X I L I A humilia, firma
consensus facit.

*Vires auget amor consensu & firmat amici :
Dissensus magnas dilapidavit opes.*

A S T U T E crines dùm celantur,
ætas indicatur.

*Cæsariem dicunt, qui vestit callidus ; aptum
Ætatis specimen denotat ille suæ,*

A N I

ANIM O dolenti nihil oportet
credere.

*Luētibus implicitæ non dignum est credere menti:
Nam fluit in varias acta dolore vices.*

FABULAE quædam **Æsopicae.**
De Leone ac Rana.

*Vox ranae fuerat dilapsa Leonis ad aures,
Ranae, quæ in tacito garrit inepta lacu.
Ille diu adtonitus, nescit quæ bestia tantos
Quodve animal præcox exspuat ore sonos!
Exscrit at tandem faucem ambitiosa loquacem;
Saltat, & in sicco voce coaxat agro.
Quam leo, cum vultu conspexit forte superbo,
Advolat; & querulam protenus ungue terit.*

CASSITA sola.

*Aucupis insidijs quandò hæret alauda dolosi,
Miratur, quænam sit sibi caussa necis.
Hei mihi, flens clamat, quæ tanti caussa doloris!
Hei mihi, quod facinus me periisse dabit?
Nùm quia per vetitas furtim irrepisse fenestras,
Aut soleo alterius me scelerare bonis?
Hæc præter nihil est, si hæc quidquam culpa meretur,
Dignave me Cereris granula morte volunt.*

b s

DE

DE SVE & Cano.

Non levis (at quondam!) discordia contigit inter
Setigeramq; suam, sollicitamq; canem.

Nam sus fecundam se grunnit iniqua; vocari
Vult sue fertilior fertilioris canis.

Qui demum hæc referens, quid criminis evomis, in-
An non ut furiat mens tibi cæca vides? (quis?)

Nam fœtus generas miserum tu lumine cassos,
Dum cupis, ut proles sit numerosa tibi.

COLUMBIA & tabula picta.

Ex nimio multum sitiens ardore columba

Viderat appensam parietibus tabulam:

Hydria quæ fuerat tam vivo picta colore,

Nescia, quæ verum duxerat esse scyphum.

unde sinistra suis circumdans pocula pennis,

Optatæ infelix appropinquavit aquæ.

Et pictam contra præceps allapsa tabellam

Collisâ perijt præcipitata gulâ.

ANSERES & grucæ.

Quæ poterant volucres arcem servare Quirini,

Et magnâ junctæ vi Palamedis aves:

Iugiter in prato fusæ pascuntur eodem:

Securo & peragrant læta vireta pede.

Fortè

Fortē canes agitans venit venator in aprōs
Comminus, inq̄, feras, per juga, perq̄, nemus;
Plumiferosq̄, greges subiti invasere timores,
Devia dum replent vocibus arva canes.
Strimoniae undē grues leviter motantibus alis
Eripiunt subitis se, fugiuntq̄, minis.
At (dolor!) anseribus, multo conamine nixis,
Pingua non licuit membra levare solo.
Corporis oppugnat moles dum segnis obesi
Et pennas cohibet ponderibusq̄, gravat:
Faucibus apta canum rapidis hi praeda repenti
Robore devicti procubuerē suo.

AQUILA & testudo.

Tempus erat quondam, quo brutis cœlitus ipsis
Vita sedalitiij fœdera firma tulit;
Tum tali affata est testudo sonore volucrum
Reginam, omniferi quæ Iovis ales erat:
Tu quæ ventivago veheris trans astra volatu,
Et pennâ sulcas ætherea, tuta levi.
Accipe reptantem me vili pulvere testam
Quo mea sat pecudes calcibus ora terunt.
Adfer opem; docilesq̄, leva sublimior alas:
Meq̄, per ætherias duc studiosa vias.
Dixerat: his contra ingrediens Iovis ales, abi, in-
quit,
Quid quereris? quæ te meus malè sana rotat?

Plura

Fortē

Plura pudor posthac vetet addere: vana precaris:
Implumis superos visne ferire polos?
Pondere qui testæ tardantis onusta rotundo
Absq̄ alis, leni sustineare Noto?
Reptilis at vermis monitûs contemnit amicos:
Et volucris fieri nil doliturus avet.
Semper idem repetit: meditatur ad æthera: celo
Ludere convexo concava testa parat.
Tunc Aquila, insano testudinis aëla furore,
Se promptam assidue præbuit ipsa preci.
Dumq̄ illam rostro deprensam tollit adunco,
Metitur cursu sidera celsa comes.
Deniq̄ sublimem diffusas ducit in auras:
Et jubet ut cautè sic imitando volet.
Ætherijs latè testudo credita campis,
Ignota indocili visitat astra pede.
Pondere cedentem sic flebilis aëra cogit,
ut nil præcipitem detinuisse queat.

DE PULICE & homine.

Pulicis interdum est audacia magna pusilli
(Ævo si veteri sit tribnenda fides)
Fama refert, illum pulsâ formidine quondam
Saltibus intrepidis insiluisse pecti,
Militis eximij, multorum cæde cruenti:
Cui voluit miros opposuisse metûs.

unde

aris : undè etiam hic tremulo gemibundus pectore, Numen
Herculeum veto flebiliore vocat.
Suppetias tristi veniat quà clade, minacis
Et morsam Jocy sævitiemq; domet,
Neglegit Alcides hunc, votaq; ridet inepti :
Rebus & exiguis ferre recusat opem.
celo Iamq; adeò observans nullam restare salutem,
Hæsitat ambiguus mentis, opisque carens.
Fortè tamen pulex motus mœrore precantis,
Ausugit, atque alium quærit in æde locum.
Hæc ubi facta : imo suspiria pectore ducens,
Miles iners tremulâ deniq; vocē refert :
Tu qui pugnaci virtute domare rebelles,
Imbellesq; soles iuste juvare Viros :
Si contra exiguum non fortiùs iveris hostem,
Quid sperem, si me nunc graviora, gravent ?

AMARE ET SAPERE
VIX DEO conceditur.

Et sapere, & stolidi sensisse pericula amoris,
Vix est concessum, qui regit astra, DEO.

IDEM.

Vix amor, & pariter prudentia pectore in ipso
Numinis excelsi, dilatitare queunt.

undè

ES

*Est in amore furor, qui lamina pectoris abdit:
Qui facit & summos despuisse viros.*

AUT AMAT aut odit
mulier.

*Aut amat, aut odit mulier: non tertia vis est
ulla: sed hæc magni criminis ausa putes.*

AMANS iratus multa menti-
titur sibi.

*Plurima læsus amor, falso sibi nomine fingit:
Nam cui cæcus amor, Dux quoq; cæcus erit.*

AB AMANTE lacrimis re-
dimas iracundiam.

*Gratia in ingratas si quando dissilit iras,
Cura hunc obsequijs conciliare tuis.
Immò etiam plenam, ni sufficit, addere dextram,
Et lacrimis propera mitificare animum.*

VEL:

*Si cupis iratum comescere denuò amantem,
Iracunda tuis corda riga lacrimis.*

AMANS

A M A N S quod suspicatur, vigi-
lans somniat.

*Pectore quod subolet, vigilans quoq, somniat idem,
Mollia cui blandus pectora mulcet Amor.*

A M A N S quid cupiat, scit; quid
sapiat, non videt.

*Novit amans amens, cupidis quid mens sua votis
Optet; quid sapiat, non videt ullus amans.*

A M O R extorqueri non potest,
elabi potest.

*Si vis nulla valet crescentem cogere flammam;
Tempore diminui sponte suapte potest.*

I D E M.

*Spernit flamma minas: sed cedere cogitur ævo:
Major & est magnâ vi revoluta dies.*

A M O R animi arbitrio sumitur,
non ponitur.

*Sumitur arbitrio mentis, non ponitur ignis:
Aptari frenum non sint ille sibi.*

ANS

OMA

Quæter

*Quærere materiem facile est, sed demere vires
Difficile, & certum ponere posse modum.*

A M E S parentem, si æquus est,
sin aliter, feras.

*Si justum dederit tibi sors, venerare Parentem:
Sin minus, hunc placido pectore ferre decet.*

A P E R T E, cum est mala mulier,
tūm demūm est.

*Fæmina quando palam nullo velamine peccat,
Tum bona masculo dicitur esse choro.*

*Vitare, aut poterit deprehendere aperta maritus:
Certaq; prævisi signa levare mali.*

A M A R E juveni fructus; cris
men seni.

*Est teneris fructus, sed turpe senilibus annis,
Corde Cupidinas ejaculare faces.*

A N u S cum ludit morte
delicias facit.

*Femina grandævis cum ludit inutilis annis,
Morti blandidulas construit usq; dapes.*

AMO

A M O R I S vulnus, idem qui
facit, sanat.

*Is qui vesanas accendit pectore flammās,
Dum modò vult, faciles extenuare potest.*

I D E M.

*Quo grave pectoribus vulnus geminavit amoris,
Noverit & medicos applicuisse cibos.*

I D E M.

*Qui tacitas venis prunas supponit, easdem
Solut Apolliniâ scit superare manū.*

A M I C I vitia si feras, facis tua,

*Qui vitium auscultat tacitus peccantis amici,
Nec monet errantem, quandò monenda videt;
Peccat, & alterius maculat se labe, videtur,
Dum tacet, erroris probra probare simul.*

D E A M I C O R U M delectu.

*Non licet, ut teneros tentes præferre juvencos
Magnanimis, longus quos terit usus, equis.
Sic quoq; fas veteres est præposuisse sodales,
Nempè tibi junxit quos diuturna fides.*

C

ARCTA

ARCTA amicitia violata.

*ut quandoq; adamas contritus pondere ferri
In crustas sparsim rumpitur exiguas:
Sic ubi rixosos semel evenit inter amicos,
Arctæ ut solvatur fœdus amicitia:
Scinditur in partes diffusim perniciosas:
Vertitur inq; odium quod favor antè fuit.*

AMICOS res optimæ parant,
adversæ probant.

*Sors optata parat, probat irrequieta Sodales:
Quos parat hæc, rarò comperit illa bonos.*

BONARUM rerum consuetudo
pessima.

*Assuetudo hominì quàm pessima sortis amice:
Nam quibus usus eras, est caruisse dolor.*

DE INUNDATIONE.

Pragæ ex continuis pluvijs orta
Anno 96.

*Evocat iratos celi inclementia ventos;
Imbroque continuo nubila mista madent!*

Molda

Molda tumet multum vehemens pluvialibus undis
Prorumpens ripis impetuosa suis.

Largaq; per latos diffundit flumina campos,
Et rapidus siccos proluit amnis agros.

Spumofus verrit per præceps omnia gurges:
Et misere insanis cuncta teguntur aquis.

Hinc seges, hinc fructus distracti fluctibus undant
Indè vir, indè thorus, feminaq; indè natat.

Cerne; trabes, pinus & tecta natantia, cerne;
Volvuntur tumidis amne ferente vadis.

Septa procelloso latè stant gurgite mersa:
Sic alto pereunt omnia fusa mari!

Cymba forum sulcat; piscis delubra DEORUM,
Commaculat; tumidis fluctibus ara madet.

Astant adronitæ, sed veste liquente catorvæ,
Deslentes tantis cuncta perire malis.

Talis erat facies furibundam cernere Moldam
Et similes undæ Deucalionis erant.

Tu qui monstra freti rabidosve domare furores
Ihova potes; nutu tot mala flecte tua.



LIVORI.

Quem socij metuunt, socijs hic flebile debet

Ludibrium: auctori, velle nocere nocet.

Quippe perosus erit, si odit; redamantur amantes:

Invidus invidiâ, callidus arte perit.

**Tantum de primo ac secun-
do Libro.**

LECTO.

LECTORI AMI- CO.

GELOME^UELAM nostram inauspi-
cato forsan Mercurij ductu emis-
sam miraris? En additam Comitum
sed VUESTONIAM nec frustra.
Nam præterquam quod in virtutum
omnium, plurimarumque discipli-
narum generibus exercitatissimam
viri experti sunt ubivis doctissimi;
linguas cum Anglâ, quæ ipsi vernacu-
la est, ad unguem callet quinque.
Germanicam purissimè; Bohemi-
cam expeditissimè; Italicam elegan-
tissimè, Latinam doctissimè. Quæ
igitur duci illi regio, qui locus sit in-
vius, non video. Neque ortu pro-
dit obscura, sed ex illustri Anglorum
VUESTONIORUM prosapiâ ori-
unda. Nobilissimum hunc generis
sui nitorem, exactâ vitæ integritate,
rarissimâ huic sexui eruditione, con-
venientissimâ morum elegantissimo-
rum harmoniâ, perpetuis pietatis,
pijssimæ virginitatis ac pudicitiae do-
tibus,

tibus, humanitate singulari, comita-
te inimitabili, prudentiâ incredibili,
heroâ in adversis constantiâ ac ma-
gnanimitate magis magisque ampli-
ficat & lætiùs diffundit! Quos nunc
à quavis etiam natione honores me-
ritissima mereri deberet? Ad Mi-
nervam si appelleret, non sociam, sed
ævi sui miraculum exciperet: quippe
huius ætatis Virginem quæ annum
vigesimalium nondum adtigit, modò
infensissimæ iniquissima fata asperi-
tati temperarent: floureret Sappho
Angla; suppeditaret Polla Lucano
suo materiam: legeret hanc scriben-
tem Dido Virgiliana: audiret lo-
quentem Hortensia: gratularetur
sibi de litteris melius excultis Isis
Aegyptiaca: parcus Marcellam &
Fabiolam Romanas laudatas nobis
reliquisset D. Hieronymus mulieres:
Semiamyra parem agnosceret ob sa-
pientiam: Sempromia ob græcarum
ac latinarum litterarum culturam:
Damisella Triulcia ob eloquētiam:
Sybillæ mulieres ob iudicij dexteri-
tatem:

tatem
geni
Gno
spon
lutit
nem
spice

Noj

riam
de V
subsi
nisi L
fule
N I A

E

tatem: Proba Falconia ob miras in-
genij vires. Et quid tu M A R I A
Gnornacensis, nobilissima virgo, re-
sponsura tandem? Verè ad abso-
lutissimam tot linguarum cognitio-
nem & artis Musicae scientiam, si re-
spiceremus, quis invideret scribere?

Nostra suum paucis nomen habere sinat.

Sed ne fenestram Invidiae ape-
riamus, in repetendis doctissimorum,
de V V E S T O N I A latis testimonijs,
subsistemus. Tu verò, L E C T O R,
nisi Livori nomen dedisti, boni con-
sule; cum illo nostrae V V E S T O -
N I A E,

*Ergo quod in versu vel pecco, vel ordine currunt
Singula confuso, dic age: Virgo Dedit.*

G. Martinius à Baldhofen
Silesius.

C 4

AD



AD ELISABETHAM IO
ANNAM VVESTONIAM,
Anglam, Virginem,
Illustrem:

*Ex Epigrammatis Magnifici ac Nobilissi-
mi Viri*

DN. NICOLAI MAII, SAC.
Cæs. Maiestatis Consil. ac Supr.
Vall. Ioachimicæ Præ-
fecti.

*Quas Tibi pro Musis & docto carmine grates,
O animi requies, dulcis Elissa, seram?
Pro Musis Musas, pro carmine carmina reddo.
In te iudicij signa probanda mei.
Accipe; meque tuus ita crede favere Camenis
ut maream cultor nominis usq; tui.
Fide DEO, pariterq; fidem virtutibus orna;
Inque tuo constans fac facienda loco.
Teque tuosque DEO precibus committe; benignam
Illius expecta, spe patienter opem.
Adsit,; adest, aderit per vota Iehova vocatus:
Omne, quod ex usu viderit esse, dabit.*

AD

PA

C

O Dia
Fortun

Profun
Fixâq

O eru
Quasc

Novem
Chori

Moro
Ling

AD EAMDEM,
PAULI MELISSI FRAN-
CI, COMITIS PAL. ET EQV.
Aur. Civis Romani,

MELOS.

O Dia Virgo, Pieridum decus;
Fortuna quænam te vaga Doridis
 Precul Britannæ vectam ab actâ
 Vasta per Oceani tumentis
Profunda duxit Teutoniæ in sinûs,
Fixâque pulchræ sede Bohemiæ
 Tutam locavit? Cura Divis,
 Cura hominum generi fuisti,
O eruditum pectus & aureum;
Quascumq; in oras candidulos pedes
 Unquam peregrinans tulisti
 Advena. Te comitavit ultra
Novenus ordo Castalij chori,
Cboriq; Præses. Mercurius lyram,
 Lyraeq; concentus sonoros
 Attribuit tibi; Pallas artes,
Mores amœnos Gratia, Suâdaq;
Linguam disertam, sidereos Venus
 Ridens ocellos. Quis staturam
 Egregiam, rososque vultus,

c s

Et

AD

Et tincta rubris labra corallijs,
Frontisq; honorem, colleque eburnea
Cantare sumet? Quis politus
Indolis ingenyque acumen
Expendet apte? Quinque tui sonis
Discrimina oris, dum loqueris catē
Scribisq; doctē, notiozem
Reddere amant. Proprius tibi usu
Sermo Britannus, Teutonus, Italus,
Bohemus; & qui te celebrem facit
Latinus. Aures ò beatas
Organicā fide quæ canentem,
Et spiritali suaviter audiunt
Sonore. Felix, qui fruitur tuā
Præsens loquelā, carminumq;
Illecebris, quibus ipsa inescas
Mentes legentum! Me quoq; Pythio
Lepore captum vinnula detines,
Tuisq; Musis. Nunc ephebus
Esse velim, juvenisve cælebs;
Ambire talem (credo) Poëtriam
Proco liceret. næ mihi tu fores,
Quod Polla Lucano, & Tibullo
Delia, Sulpitie Caleno,
Stellæq; Ianthis, Claudia Surculo.
Fores, quod Elpis docta Boëthio;
Quod Laura Petrarchæ, Beatrix
Aligero, Angelica Ariosto,

Suoque

Suoq;

Dicant

O si lo

Largas

Opes?

Magn

Queis

Iovisq;

Verum

Cultus

Exter

Tuque

Per se

Miru

Suaq; Gruntlero optima Olympia.

Dicant Poëta V Vestoniam; quibus

Concessa facundis potestas

Dulce caput propius tuendi.

O si locuples Iuno faventior

Largas & ultro divitias tibi

Donaret! at quid Iana fluxas

Divitias loquor, & caducas

Opes? ab aulis hæ veniant quidem

Magnis oportet. Munera Cæsarum

Regumq; nonnunquam potentum

Efficiunt homines beatos,

Queis astra rident, si genesin notes;

Iovisq; fidus Lunaque prospera

Domo in secundá lætiores

Zodiaci positûs figurant.

Verùm quid istæc ad bona pectoris,

Cultûsque mentis prædita queis nites?

Externa si fors comparemus

Dotibus ingenij elegantis,

Externa cedent pol melioribus.

Tuque ipsa certê nobilis es domi,

Et gente clará procreata,

Clartior inde celebriorq;

Per scripta multo nobiliorque eris,

Mirum in modum quæ cernere gestio

Excusa formis: quin vel ipsam

Te potius vel aprica saltem

Pigmenta

uoqua

*Pigmenta filii, per graphicam manum
Delineati. Talia sed reor*

*Martini (cui calcar addo)
Sint operæ, studijque paulo
Post exhibendi. Pisnitij jubet
Maunque virtus hoc opus edier
Claras in auras. Quantum in ipso
Me est, ego suspiciam colamq;
Te, sidus ortum cælitus. Interim,
Signata virgo, versiculos meos
Vultu sereno sume, nostri
Perpetuum monumentum amoris.*

EIUSDEM MELOS.

IN POËMATIA VVESTONIAE.

Virginei labores

Emedullati studio VVestoniae Minervæ,

In manifestiorem

*Ite cum plausore diem. nam Genium faventem
undique senietis.*

Lecta vos candore cohors, vos manus erudita

Excipiet libenter.

Vos legent acres pueri, vos alacres ephebi

Nocte dieque volvent,

Nectaris vivos latices, Ambrosiæque succos,

Mellaque delicata

Inde sumpturi, cupido delicias palato.

Quin

Quin
His in
Q
E
Vos in
Pagina
P
In
Nemo e
Nemo i
N
N
O sapie
Et saga
I
F
Nomin
Gloriâ
C
u
Est tibi
Laude
M
Q

Quin & adultiores
His inescati illecebris, vix sibi temperabunt,
Quo minus æstuesam
Expleant de fonte sitim Castaliæ scatæbræ.
Vos in honore tanto
Paginæ dulces eritis, Cæsar ut ipse magnus
Perlegere expetiscat,
Imperi curis varijs quamlibet occupatus.
Nemo erit omni in aulâ,
Nemo in Europæ gremio, cui nitidi libelli
Non fuerint amori.
Nemo erit qui non penitus noscere te flagrabit,
O sapiens Elisa,
Et sagax, mente valens, ante alias puellas
In viridantis ævi
Flore. Quo circa fruitor liberiore famâ
Nominis, ac recenti
Gloriâ; porroq; operum reliquias tuorum
Collige in unum acervum,
ut suo prelum subeant tempore. Iam triumphus
Est tibi partus unus,
Laude cum multâ, & titulis haut tibi pœnitendis.
Mox alius sequetur,
Qui DEas supra faciat laude celebriorem.

E I U S D E M M E L I S S I

M E L O S,

A D

AD EAMDEM VVESTONIAM,

Cum eam LAUREA insigniret.

VWestonin Nympham, decus, Anglicarum,
Alloquar paucis. Mea dicta Cygne
Perfer ad claræ populosa velox.

Mœnia Pragæ.

Cum subit mentem tua summa, Virgo,
Indoles, doctrina, decensq; virtus,
Et probi mores, & amœna dolci

Carmina venâ:

Par mihi Sapphûs Genio videris,
Omnis aut ipsam superare Sappho
Arte Musæâ, & numeris Latinâ
Voce sonoris.

Euge, quid linguam memorem Britannam,
Italâque & Teutonicam & Bohemam &
Quam sonos tu cunque diserta, pol ver-
nacula paret.

Si canas scitè fidibus, manuq;
Nablium vertas duplici, putaris
Vna de Musis, eadem vel ipsas
Vincere Musas.

Principes magni tibi dona magna
Offerant munes, adeoque Cæsar
Ipse gemmato tua cingat ultro
Colla monili:

Donet
Donet
Nobili

Quid
Injup
Laure

PAU

CO M
Doctæ

Donet

02
Donet armillas, teretesq; in aures,
Donet anellos preciosiores,
Nobili dignos habitu, tuæq;
Lumine formæ.

Quid Palatinus Comes eruditæ
Insuper vati tribuam benignus?
Lauream. Daphnæa tuos decebit
Laurea crines.

ANNO MDCL.

Die XIX. Novembri.

PAULI MELISSI FRANCI

MELOS,

MD G. MARTINIUM A

Baldhofen, Silesium,

DE POEMATIIIS

VVESTONIAE.

COMMENDARE jubes me bona carmina
Doctæ VVESTONIDOS Quod merito bonum est,
Se commendat. id ipsum
Nec præconibus indiget.

Vino

Donet

Vino vendibili nil hederâ est opus
Suspensâ ; nec habet laus aliena plus
 In se ponderis olim,
 Quam cui propria laus ea est,
Accidignus honos. Aonides novem,
Et erinæ Charites, Pallas & Attica,
 Et facundia Pitbûs,
 Vnam V Vestoniam penes
Coniunctis habitant sedibus ; & suas
Illi divitias largiter exhibent,
 Et præsignia dona,
 Queis (sic auguro) virginis
Nomen perpetuum conciliabitur.
Si quid nostra quyt Musa virilior,
 Iam perfecit abunde
 Plectris Alcaici soni.
Tu qui flava colis flumina Vultavæ,
Martini Clarijs addite cætibus ,
 Dias profer in auras
 Nymphæ tersa poemata,
Curæ primitias : pluribus ut de hinc
Auctor, quam penito diligo pectore,
 Innotescat in oris,
 Almæ compos adorea.
Quod si præterea forte reslagitas ,
Ut quo candidulam munere virginem
 Vltro prævius ornem,
 Quod sit mnemosynon mei :

Ecquid

Ecquid

Vt Parn

A D

D E

G. M

Comm

Sumfisti

Dulce &

Amplect

Immort

Extenda

Ecquidnam fieri censueris, nisi
Vt Parnasiacâ frunde politulæ
Cingam tempora vati
Æthernum viridantia &

AD PAULLUM MELISSUM
FRANCUM,

DE ELISABETHA IOANNA
VVESTONIA ILLUSTRIS
Virgine,

G. MARTINIUS A BALDHOFFEN
Silesius.

Commendare tuis VVestonium melos

Sumfisti numeris. quod meritæ decus,

Dignum talibus ausis,

Dignum Virgine nobili.

Dulce & decorum est VVestonidem suis

Amplecti radijs: quæ genialibus,

Pravæ nescia labis

Latè fulget honoribus.

Immortale plagas nomen in ultimas

Extendit celebris: multaque pars suâ

Inter conscia famæ

Sistit sidera limites;

Ecquid

d

Dura

Dum multi properat nominis ordinem
Cartis inserere, & Concilio novem
Iam nunc fama sororum
Longo intacta silentio.

Rimatur querulae Melpomenes sinum,
Arcanique adytum pectoris arguit:
Multis callida linguis
Pithus vincere gratias.

Res est, mellifluos ducere Nectaris
Succos? docta modos & citharae sciens
Spirat balsama, flores
Mellito sipat osculo!

Tigres & comites flectere populos,
Et rivos rapidos in scopuli modum
Novit mira morari,
Et perumpere durima

Linguae blandicis saxa potentius.
Irritat placidi vim Zephyri: feras
Vires continet Euri,
Quo non arbiter asperi

Sit ponti potior. Cedet amabilis
Rodulphi bonitas Caesaris, anxius
(Quod certo auguro) votis,
Quamvis muniat invium

Curarum series Imperialium
Pectus; tergeminis & Scythae cladibus.
Tanti vota, repulsae
Fati, nescia sordidae.

Scandunt

Scandu
Divum

Heroi
Quae p

Cum m
Si firm

Et mat
Eradun

Mater
Fingit

Quam
Nec ren

Ultra f
Quas l

Scandunt ætherios poplite vortices,
Divùmque innumeris sollicitant modis

Summum nava tribunal,

Effectum ut mereant suum.

Heroi repetam robora pectoris,

Quæ præter solitum femini Chori

Clamant dudum animosam,

Turbato æqua negotio

Cum mens exhibuit lætificas vices.

Si firmat rigidam dira necessitas

Arctâ valle columnam,

Sortiturque trabalibus

Et matrem & subolem legibus, invicem

Eradunt elementa illacrimabilis

Forti pectore lætûs,

Et duri faciem statûs.

Mater flebilibus conditionibus

Fingit lætitiæ commoda, nec modum

Figit spebus inertem,

Tentatisque laboribus.

Quam nec murmura, nec præcipites minæ,

Nec rerum variæ lautitiæ, prohi

Cæpti nempe tenacem

Curvant. illa dolentium

ultra fas, reprobat Castra: dolentibus

Quas lætus peperit feminius, catâ

Partes mente redonat,

Refrænâtque licentiam

Curarum. Intere à dulcacidos lyræ
Festivè modulos VVestonis applicat,
Et facunda ministrat
Plenis carmina rivalis.
Dulci sollicitis docta periculo
Phæbi suppeditat tela Vicarijs,
Et magmenta laborat
Largæ illustria adoreæ.
Livorum arbitrium si popularium
Laxat signa suo diribitorio,
Ridet vana loquacis
Blandim murmura gutturis.
Hoc est, nobilior quod docet indoles
Suspendes docili de scapulâ jugum.
Talis munere felix
Naturæ est pia VVestonis.
Olim digna suæ sit patientiæ
Merces, quod placidam se gerat invidis.
Virtus nulla colonum
Claudo deseruit pede.
Tam nec Candidulæ splendet inutilis
Conatus, nec honor dat Lalagæ locum:
Nec se nostra minorem
Vates vatibus exhibet.
O Virgo proavis nobilis inclutis,
Seu me laude moves, seu querimonijs,
Me totum tibi raptas,
Instantem obsequijs tuis.

Quocunq;

Quocunq;
Servas

Sed qu
Insueti

ELI
V

ut vidi

Ordinar

Ordinar

In me a

Es DE

Eque h

Quod l

T

Quocunq; egregias nomine imagines
Servas, Pindaricâ digna cani lyrâ,
Audenti mihi magnos
Mirari titulos libet.

Sed quò Musarapis? desine grandium
Insueti strepitu pectinis explicat
Francus grandia Cignus
Qui famam sibi subjugat.

ELISABETHAE IOANNAE
VVESTONIAE, ANGLAE,
Poëtridi florentissimæ,
Salutem,

ut vidi, & stupui melicæ meletemata, Vatis,
Quæ me per numeros surripuere mihi.
Ordiam? at quales implorem carmine Musas?
Quis mihi nunc dignum suppeditabit epos?
Ordiam. at si tu spondes Lisabètha calorem:
Tu mihi Melpomene, tu mihi Phœbus eris.
In me dispositis descendo motibus, extra
Me positus; placidâ, quod refero, aure cape.
Es DEa, nam dum te compello absentibus, ambis
Absentem resonis semper ubiq; modis.
Eque humili pectus mihi tramite tollis, & inter
Ætherias sistis virginiasq; DEas.
Quod loquor, & facili ludo modulamine, linguam
Tu mihi, tuq; manum cum ratione moves.

Namq;

Namq³, quod antè gravis conatu cura negabat,
Nunc lectu levius, nunc merus esset amor.
Dum spiras, Geticos in castra ciebo tyrannos,
Immo adigam vacuas cædis habere manûs.
Quin etiam iracunda Iovis tu fulmina & iras
Argutâ facilis nôsti inhibére lyrâ.
Frustra igitur meliora tuis cupis ocia Musis,
Quæ vatum superas pectora, vimque DEI.
Posce DEos, ò DIVA, Diû tua jussa capessent:
Invitum invitas ad tua vota Iovem.
Aura favet, favet aula tibi, tibi cedit Apollo:
Miratur vires & vir in arte tuas.
Sola per immensas præstas miracula terras:
Tu DEus & doctus sola, quod optat, habes.
Tempus erit; tua quo per sacros nomina Fastos
Carminibus, fidibus, compita, templa ferent.
Ipse ego servitijs proclivis plectra movebo:
Perpetuæq³ memor laudis, & auctor ero.

G. MARTINUS A BALD-
hofen, Silesius.



DE

E

Quid n

Asspice

Inde S

Felix in

Quicqu

Quicqu

Te bea

Tu mo

Elisabetæ Ioannæ VVestoniæ, S.

*Quid non Ingenio Natura ministra ministrat?
quid non Ars usu concomitata facit?*

*Aspice VVestoniam penitus Sapiencia clausam
quam solers adytis detinet & retinet.*

*Inde Sybillinis canit æquiparanda disertis
carmina carminibus fertilitate styli.*

*Felix ingenij Genius Te jœmina, felix
vena manet, felix judicij bonitas!*

*Quicquid apex Pindi, quicquid tenet unda Minerva
quicquid in abstruso diva Poësis habet.*

*Quicquid socraticis promit sapientia libris
& quicquid docti vim polit ingenij*

*Te beat: Ambrosiâ cui Cor sapientia nutrit
Lipsius id, Vatum duxq; Melissus, ait.*

*Tu modo surge animi fervore, Ioanna, sagaci,
Altera sic Sappho vi potes esse metri.*

M. Petrus VVernerus Bol, Sil.
Not. P. C.

Quaedam corrigenda in lib. 1. a. 5.
col. 1. pro inuncta, injusta: ibid. pro
facit, favet: a. 6. col. 2. pro iusta, iustu:
a. 8. pro quando lenire, lenire querendo:
col. 2. pro dius, diu: b. 2. c. 1. pro aspe-
cta, aspectu: col. 2. pro me, ne: b. 3. c. 1.
pro quis, quæ: b. 4. pro egregiam, egre-
gium: b. 6. c. 2. pro fatigat, fatiget: ibid.
pro chebis, chelys: b. 7. c. 2. pro hæc,
hac: ibid. pro tuis, tuus: b. 8. c. 1. pro
geminas, geminos: ibid. pro nota, nata:
C. 1. col. 1. Thaleia: C. 2. c. 2. pro
genus, gemis: C. 3. c. 1. pro implica-
turum, implicatarum: C. 6. c. 1. pro
addoreas, addoceas: C. 7. c. 2. pro dos,
das: ibid. pro symbolum, symbolam: C. 8.
c. 1. pro miserum, miseram. In lib. 2. a. 2.
c. 1. pro vestris, vestiris: b. 3. c. 1. Ten-
tat, & in: ib. prosternunt: c. 2. stringen-
tes: b. 4. c. 1. pro minu, minæ: b. 6. c.
2. pro pecti pedi: b. 8. c. 1. pro sint, si-
nit: col. 2. demum est bona: ib. pro mor-
te, morti. C. 1. pro quo, qui: C. 5. c.
2. pro colleque, collaque. C. 7. c. 2. Et
sagax, & mente. Reliqua lectori curioso.

Elsabetha Ioanna Vuestonia,

ex quo:

Ab Vates! lenis, bona, Iove nata.


B. B. C. F.

1077

420

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black



M E
gra
F^{esta}
Hec est
Pr
Quo na
A
Nec du
Ce
Et meri
Qu
Human
ut
Est cor
C
Fœdera
N
Molequ
S
Quà no
Pa
Ad te ju
V